



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 1. Regularibus omnibus communia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

XVIII. Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum munus habet, Oeconomum unum vel plures decernat. *ibid.* c. 16.

XIX. Item Vicarium infra octo dies à morte Episcopi constituat, vel existentem confirmet, qui saltem in Jure Canonico sit Licentiatus, vel Doctor, vel aliàs idoneus, alioquin Metropolitanus deputet, aut in Ecclesia Metropolitana antiquior Suffraganeus, in exempta Episcopus vicinior. *ibidem.*

XX. Episcopus postea promotus ab Oeonomo, Vicario, & aliis, etsi fuerint ex Capitulo, rationem possit exigere, eosque punire, licet à Capitulo vel deputatis ab eadem liberationem obtinuerint. *ibidem.*

XXI. Eidem Episcopo Capitulum de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si ad Capitulum pervenerint, teneatur rationem reddere.

#### CAPUT IV.

### DE REGULARIBUS.

#### §. I.

#### Regularibus omnibus communia.

I. Omnes Regulares juxta Regulam vivant, & præcepta ad eorum essentiam, nec non ad communem vitam victum, vestitum, pertinentia fideliter observent. *Sess. 25. de regul. c. 1.* Id ut fiat, curent Superiores in Capitulis & Visitationibus. *ibidem.*

II. Nemini Regularium liceat bona immutabilia vel mobilia qualiacunque, tanquam propria aut nomine conventus possidere; nec liceat Superioribus bona stabilia aliena concedere ad usum fructum, vel usum, commendam, vel administrationem. *ibidem. c. 2.* Administratio autem bonorum ad solos Officiales ad nutum Superiorum amovibiles pertinet. *ibidem.*

III. Mobilium usum Superiores ita permittant, ut pauperati conveniat, & nihil necessarium denegetur. *ibidem.* Si quis aliquid aliter tenere deprehendatur, biennio activâ & passivâ voce careat, & juxta Ordinis constitutiones puniatur. *IV. Con-*  
*ibidem.*



IV. Concedit S. Synodus omnibus Monasteriis, & domibus, etiam Mendicantium, exceptis Capuccinorum & Minorum de Observantia, etiam iis, quibus aut ex constitutionibus erat prohibitum, aut à Pontifice non permissum, ut deinceps bona immobilia possideant. ibidem. c. 3.

V. Si aliqua loca ex prædictis, quibus à Pontifice similia bona possidere permissum est, eis spoliata sint, eadem illis restituantur.

VI. Is sit quovis loco Numerus Regularium, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. ibidem.

VII. Nec de cætero similia loca erigantur sine licentia Episcopi. ibidem.

VIII. Nullus Regularis sine sui Superioris licentiâ quovis prætextu subijciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, Universitatis, Communitatis, aut cujuscunque Personæ seu loci, neque privilegium, neque facultas ab aliis obtenta suffragetur. ibid. c. 4.

IX. Regulares à suis Conventibus non recedant, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui sine prædicto mandato in scriptis obtento reperitur, ab Ordinario tanquam desertor instituti puniatur. ibidem.

X. Qui studiorum causâ ad Universitates mittuntur, in conventibus tantùm habitent, alioquin ab Ordinario contra eos procedatur. ibidem.

XI. Superiores quicumque eligantur per vota secreta, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur. ibidem. c. 6.

XII. Nec liceat Provinciales, Abbates, aut alios titulares ad effectum electionis constituere, aut suffragia absentium supplere; alias electio irrita sit. ibidem.

XIII. Permittens se eligi in Superiorem titularem ad officia Religionis inhabilis fiat, facultatesque concessæ abrogatæ censeantur, & impostero concedendæ subreptitiæ. ibidem.

XIV. Professio non fiat ante 16. annum expletum, nec ante annum post susceptum habitum in professione peractum; ante facta sit nulla. ibid. c. 18.

XV. Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam



cta, etiã jurata, aut cum hujus favoris expressa renuntiatione sit valida, nisi cum licentia Episcopi, five ejus Vicarii intra duos menses proximos ante professionem; nec alias suum effectum fortietur, nisi secuta professione. *Ibidem.* c. 16.

XVI. Finito tempore Novitiatus Superiores habiles admittant, aut eijciant. *ibidem.*

XVII. Per hæc tamen Sacra Synodus nihil intendit, innovare circa institutum Societatis JESU. *ibidem.*

XVIII. Ante professionem, excepto victu & vestitu tempore probationis ex bonis Novitii vel Novitiæ Monasterio nihil tribuatur Parentibus, vel Propinquis. *ibidem.*

XIX. Abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quod ut fiat, Episcopus etiã per Censuras compellatur.

XX. Religiosus præterdens vim aut metum in ingressu Religionis aut defectum ætatis in professione non auditur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, nec aliter, nisi causas deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. *ibidem.* c. 19.

XXI. Si habitum antea dimiserit, non admittatur, sed cogatur ad Monasterium redire, & tanquam Apostata puniatur, nec ullo Religionis suæ privilegio juvetur. *ibidem.*

XXII. Nemo transferatur ad laxiorem Religionem. *Ibidem.* Nec ullus Superior aliquem ad habitum seu professionem admittat, nisi ut in Ordine, ad quem transfertur, sui Superioris obedientiã in claustro perpetuò maneat. Si taliter translatus, licet Canonicorum Regularium fuerit, Beneficia sæcularia omnino incapax existet. *Sess. 14. c. 11.*

XXIII. Non detur licentia cuiquam Regulari occurrere ferendi habitum suæ Religionis. *Sess. 25. de regular. c. 19.*

## §. II.

### Quibusdam Monasteriis Virorum pæculiaria.

I. Monasteria Episcopis, Capitulis generalibus, item Visitatoribus regularibus non subjecta, infra annum à fine hujus Concilii, & deinde quolibet triennio in Congregationes se redigant, juxta Constit. Innocent. III. in Concil. general. Lugdun. quæ incipit. in singulis, l. 1. de electione & electi potest.